



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVIII. Soluitur argumentum sextum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT XVII.

Soluitur argumentum quintum.

AD QUINTVM de serpente æneo contracto ab Ezechia, respondeo, non mirum esse, si id Ezechias fecerit. Hebræi enim illi adolebant incensum, vt Deo; nam etiamsi adolere incensum non sit necessariò sacrificium, cum videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, & proinde sacrificium videretur tunc fuisse. vide 3. Reg. 12. & 2. Paralip. 26.

Præterea Hebræi obliti significationis, propter quam serpentem erexerat Moyses, honorabant illum propter materiam, quomodo cetera idola, hoc est, putabant beneficia sanitarum ab ipso serpente æneo profecto. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem **אֲנָלִים**, id est, anulum, vbi diminutiuum ponitur per contemptum; vel, vt alij legunt, **אֲנָלִים**, id est, æs eorum.

CAPVT XVIII.

Soluitur argumentum sextum.

AD SEXTVM argumentum Caluini, sumptum ab experientia, quia Catholici magis frequentant vnam imaginem quam aliam eiusdem rei; & quia precaturi ad imagines accedunt; & quia peregrinantur ad imagines, cum habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, nos credere in imaginibus inesse Diuinitatem.

RESPONDEO, vnam imaginem magis frequentari, quam aliam, propter varias causas. **P**RI^{MA}, quia Deus per vnam operatur miracula, & non per aliam; quæ etiam causa est, cur magis frequentemus precibus vnum Sanctum, quam alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

SE^CUN^{DA} causa est, quia quædam imagines pictæ sunt à sanctis viris, vt Luca, Nicodemo, & aliis, aliæ à p^rfanis. Certè autem peculiarem deuotionem merentur imagines, quæ
NON

non solùm sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago sancti Stephani, quæ ab Angelo formata & allata fuisse putatur, de qua Euodius lib. 2. de miraculis.

TERTIA causa est, quia aliquæ magis excitant ad pietatem, quàm aliæ, cùm sint magis piæ, & religiosæ, &c. porro peccaturi ad imagines accedimus, nõ vt inuocemus imagines, sed vt memoriam eius, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinariè enim peregrinationes ad reliquias, & loca sancta fieri solent, vt ad sepulcrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Iacobũ, ad domum Virginis Lauretanæ, &c. si quæ tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quæ diximus.

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum septimum.

AD ARGUMENTUM SEPTIMUM, ad primam rationem, quòd imago non sit capax honoris, cum sit res inanima, & sensus, ac rationis experta. **RESPONDEO**, inde solùm probari, imaginem non esse honoris capacem propter se. & idèò imagines non honorari absolute, sed relatiuè ad prototypum.

AD SECVNDAM dico, imaginem esse sanctam propter deum. **PRIMO**, propter significationem, & repræsentationem rei sanctæ, & hoc modo quælibet imago Christi, vel Sanctorum in officina existens, potest honorari.

SECVNDO, propter Ecclesiæ institutionem; nam quem admodum calices, & vestes, & ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod dedicantur cultui diuino, & separantur à profano usu; ita etiam imagines fiunt sacræ, cùm ponuntur ab Ecclesia in templis, vel aliis locis sacris, non vt pascant oculos curiosorum, sed vt excitent memoriam & amorem Sanctorum, & seruiant cultui rerum sacrarum. in cuius rei signum solent esse quando imagines benedici, & precibus sacerdotalibus quodam modo sacrari, antequam in templis collocentur.

AD TERTIAM dico. **PRIMO**, hominem vt imaginem Dei esse dignum veneratione, vt supra ostendimus ex Cyrillo ca-